



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**DE EXCELLENTI || DIVINAE GRATIAE NATVRA,|| & iis que
ad eam tùm obtinendam tùm conseruandam ||
requiruntur, de#[que] ipsius admirabili efficacia ||
DISPVTATIO,|| In inclyta et Catholica Academia ...**

**Valencia, Gregorio de
Stevartius, Petrus**

[Ingolstadt], 1576

Partis Qvartae, De Diuinæ Grati[a]e efficacitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46873](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46873)

adiuti sunt à Deo, ut auxilio reniti, atque ita gratiam ante mortem perirent, non potuerint. Quanquam si nomine auxilij ad perseverandum, vel doni perseverantiae, intelligamus, non modo invitamenta ad perseverandum, sed etiam actualem Dei motionem & concursum, quo cum iusto gratia acquisita concurrat: perspicuum est, iustum tali auxilio instructum, certo ex hypotesi esse perseveraturum, & consecuturum salutem. Ac ex iis quidem, quae de necessitate auxilij diuini ad perseverandum, variisq; illius acceptionibus breviter diximus, varia quoque Patrum de perseverantia sententia, nonnulli aliàs obscura, commodè exponi poterunt; quas, ne simus multi, praeferimus.

PARTIS QUARTAE, De Diuinæ Gratiæ efficacitate.

CAPVT PRIMVM, De sanitate, quam naturæ infirmæ, siue corruptæ per peccatum, affert.

XCVI.



Xplicandum restat, quanta sit diuinæ gratiæ vis. Est autem tanta, quantam indicant illius effectus, quos pròinde refert commemorare. Ac primùm de sanitate dicemus, quam naturæ diuinam gratiam afferre, probè intelligebat David, eam sanitate frequenter petere: Ego iniqui dixi, Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi. Quibus etiam verbis, causam etiã infirmitatis aperuit, peccatum nempe. Testatur etiam Christus Dominus, cum se medicum profiteretur: Non est, inquit, opus valentium medico, sed malè habentibus. Nò veni vocare iustos, sed peccatores. Quae loci inter alia, D. Augustinus pulchrè vrget contra Pelagium, non agnoscentem naturam humanam infirmitatem aliquam ex peccato. Quis enim fieri potest? dicitur homo hæreticus, ut peccatum quod substantia caret, et nihil est, naturam redderet infirmam? Cui Augustinus accommodato exemplo ita respondet, ut eo vehementius etiam premit. Dubium nò est, inquit, quin non comedere, nulla sit substantia: sed potius recessus à substantia, quæ est cibus, & tamen substantia corporis, si omninò abstineat à cibo: ita langueat, ita viribus extenuatur & frangitur, ut si aliquo modo perduret in vita, vix possit ad eum cibum reuocari, à quo abstinendo vitiosa est.

Psal. 40.

Matth. 9.

Lib. de natura
et gratia c. 19. &
20.

Psal. 101.

XCVII. Sic, nò est substantia peccati, sed substantia est Deus, summi substantia, & solus verus creaturæ rationalis cibus; à quo per inobedientiam recedendo, & per infirmitatem non valendo capere quod debuit; audis quomodo admodum David dicat: Percussus sum ut scenum, & arui cor meum, quia obedi-

sum comedere panem meum. Intelligebat nimirum Ecclesia Doctor eximius, non idcirco peccatum naturam debilitare, infirmareque, quia influat quicquam in illam, aliquid agendo, uti Pelagius imaginabatur Catholicos putare (quemadmodum illius argumentum declarat) sed ad eum modum, quo defectus rei necessaria in causa solet esse aliorum defectum, ut inductum declarat exemplum.

XCVIII. Age verò, videamus quosnam defectus peccati naturæ attulerit, propter quos sit infirma; ut sic cognita infirmitate, sanitatem etiam, quæ gratia tribuit, melius percipiamus: & quia naturæ defectus ex ipsius, quæ primò condita est, integritate, cognosci oportet; ab hac ordiamur.

XCIX. Quoniam homo, ex duplici illo rerum gradu, de quo initio huius disputationis diximus, compositus est, ac duplici cognoscendi, et appetendi virtute præditus; quarum ea, quæ inferior est, ita superiori parat, ut ei quoque reniti possit, eamque interdum perturbare ad acquiescendum bono sensibili, quod sæpenumero cum ratione pugnat: Idcirco, nisi aliquo præsidio Deus naturam humanam munivisset, extremæ omnino difficultatis erat, hominem longo tempore sese in officio, perpetuo continere, atque ad extremam, ut humanitatis, vel, si manis, moraliter, fuisset impossibile. Siquidem quotidiana experientia, & mores hominum docent, eos communiter non præstare, quod extremas vires potentia humana requirit, atque ita est, cum extremâ difficultate coniunctum.

C. Huic igitur incommodo, ut occurreret Deus, humanam naturam diuino dono auxit, quo instructus homo, facile posset vitare omnes omnino naturales defectus, quos aliàs propter naturæ humanæ constitutionem, necesse moraliter erat, in humanis actionibus accidere. Illud donum fuit originalis iustitia, siue re siue ratione sola (nihil enim moror) à gratia fuerit distincta; cuius quidem diuinæ qualitatis munera, ut naturæ donum dicitur, quoniam nota sunt, & nonnihil esset à scopo alienum, non recensebimus. Ad propositum enim satis est intelligere, naturæ humanæ, eo dono affectæ, integritatem constituisse in facultate, quam homo per illud donum, & habitus ex eo fluentes, habebat, facile, & quouis tempore recte operandi naturaliter; ut ita, si homo vellet, nihil illi unquam deesset bonum humanæ naturæ consentaneum, atque adeò ad integram illius perfectionem pertinet; quale est, bonum rectæ operationis naturalis, oblata recte operandi occasione; maxime, cum instat præceptum.

CI. Huius, siue rectitudinis siue integritatis defectum, parens noster attulit humano generi, cum à diuina voluntate peccando desciuit. Ita enim pepigerat Deus cum illo, ut si obediret, ad omnes posteros eam naturæ integritatem transmitteret: si rebellis esset, & ipse, et nos omnes illa priuaremur, ut qui ad illum tanquam eius posteri pertinemus, & in eo, veluti in principio continebamur;

mur;

mur; atque eatenus, voluntas illius vitiosa, quodammodo nostra futura erat. Quod quidem Oseas expressisse illis verbis videtur: ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi prauaricati sunt in me.

CII. Debilitata igitur ac infirmata est natura per peccatum, non quod aliqua potentia, aut perfectione intrinseca naturali, omnino, aut partim subtrahatur; (id quod merito docti notauerunt) sed quod potentia naturalibus donis iustitie sublato, quo recte inter se ordinata erant, expositus homo manet lapsus conscientia multis; ut necesse moraliter sit, eum, longo temporis spatio, sepe numero carere bonis operationibus naturalibus, quae ad integritatem perfectionem naturae pertinere, quando operandi est opportunitas, paulo ante diximus.

CIII. Atque hanc quidem dissolutionem recti ordinis, quem potentia ad inuicem, iustitia dono habebant, natura corruptionem docti appellant, et illos frequentes defectus, quibus homo post peccatum patet, naturae vitiosas, hoc ipso per peccatum illi inflata, quod propter illud reddita est eis defectibus obnoxia, atque eatenus vulnerata. Obstat enim, quo minus has metoparas ad defectum perfectionis alicuius permanentis, & mere naturalis, referamus, conuenientia specifica; quam nemo nisi imperitus quispiam, aut plaustricus, negare potest, inter naturam olim integram, & iam peccato corruptam, existere.

CIIII. Exposuimus breuiter, ut Deus integram naturam homini dederit, ut ipse homo eam freret, infirmaret, corruerit, quod pulchre (ut illelet omnia) S. Augustinus his verbis expressit: Creatus est primus homo in natura sine culpa, creatus est rectus, non se fecit rectum, quid autem peccatum notum est, cadens a manu figuli fractus est. Videamus modo quod ante proposuimus, eequonam pacto natura sic infirma per gratiam illam potissimum conuenitur, de qua supra sumus locuti.

CV. Non ita sane, ut pristinae integritati penitus restitueretur, hoc est, ut longo tempore, omnes etiam leues defectus, quos venialia peccata dicimus, homo vitare humanitus possit; testatur hoc appetitus rebellio, sapientissime rationis reluctantis, quam, etiam sani iam per gratiam experiuntur, ut saepe committere, & saltem venialiter, delinquere soleant.

CVI. Sentiebat hoc D. Paulus, cum legem illam sentiebat in membris suis, repugnantem legi mentis suae, cum quod malum oderat, facere se aiebat. Et Ioannes etiam, cum negabat, aliquem immunem esse a peccato. Sentit idem Iacobus. Docetur saepe aliis in Scriptura. Probatum a S. Patribus contra Pelagianos. Denique definitum est ab Ecclesia non semel.

b Praesertim ab Aug. lib. de perfect. iustitia, & D. Hieronymo ad Theophastrum, in dial. in Pelag. c. In Con. Trid. Sess. 6, c. 11, & Can. 23. & Mileuitano ca. 6. & Africano can. 81.

Sess. 11. de verbis Apoft. Eccle. 7.

Rom. 7.

Ioan. 1.

Cap. 3.
1 Iob 5. Eccle. 7.
Proverb. 24.
3. Reg. 8.

CVII. Sanat igitur diuina gratia naturae infirmitatem, in hac vita, quatenus homo per illam & virtutes ab ea fluentes, erga Deum caelestemque beatitudinem affectus, accedentibus praetera auxiliis ad perseuerandum necessariis, quae sunt praestò; facile potest per totam vitam vitare, peccata omnia mortifera, eo quòd graues sunt Dei offensiones, & adeptionem beatitudinis impediunt, ad quam homo per gratiam impellitur, vt est dictum. Venialia verò, quia cū gratia & beatitudine non pugnant, non ita per affectum ad Deum, & beatitudinem, ex gratia profectum, excutiuntur.

CVIII. Et quoniam peccata mortalia idcirco ad rationem peculiariter pertinent, quòd non, nisi cum notabili rationis defectu, committuntur; venialia verò ad partem inferiorem, cuius serè impulsu sunt; rectè idcirco à Doctoribus Catholicis dicitur, in ea vita sanari natura, quòd ad mentem, & rationem, quatenus facultatē praestat notabiles rationis defectus vitandi; quòd ad inferiorem verò partem, non item, donec in caelesti beatitudine, cumulatissimè integritas naturae nostrae restituatur.

CIX. Atque haec doctrina haud obscure in Scripturis diuinis traditur, cum enim ait D. Paulus: Ego ipse mente seruo legi Dei; sanitatem rationis quòd ad facultatem vitandi mortifera significat: cum subdit: carni autem legi peccati; infirmitatem inferioris partis, atque adeò leuiore conscientiae lapsus confitetur. Item, cum inquit: Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim; perfectionem patriae caelestis affectum se esse negat, quae in eo consistit, vt homo defixus in Deo, tanquam firmus in termino, et diuina bonitate satiatus nihil omnino velit, quòd vel leuiter sit diuinae voluntati dissentaneum.

CX. Cū verò in eodem loco subiicit; sequor autem si quo modo cōprehendam; aliosque ad idem exhortans dicit; quicumque ergo perfecti sumus hoc sentiamus, perfectionem & sanitatem se in hac vita consecutum confitetur, quae hominem in via progredientem decet; videlicet sitam in eo, vt quis possit sese in via ad beatitudinem ducente semper continere, hoc est, vt peccatis omnibus mortalibus declinatis, diuinam gratiam conseruet, per quam est insitus Christo, qui est vera, & vnica via ad eum terminum perueniendi.

CXI. Denique, cum modò S. Scriptura omnes omnino^a peccatores pronuntiet, modò aliquorum praedicit^b sanctitatem, iustitiam, reclinuam, ne secum pugnare videatur, ita est exponenda; vt integram omnino perfectionem, & sanitatem, quae omnia etiam venialia declinetur, omnibus, ordinaria Dei lege negari in hac vita intelligamus; facultatem verò omnia vitandi mortalia, iis, qui in gratia existunt, concedi.

Rom. 7.

Philipp. 3.

a vbi supra.
b Gen. 5. Iob. 1.
3. Reg. 11. &
14. & 4. Reg.
20. & Matth.
11. Luc. 1.

E CAPVT

Quo, hæreticorum doctrina de corruptione nature & impossibilitate adimplendæ legis, refutatur.

Vt videre est in Confes. Aug. c. 6 & Lypseni anno 1551. edita vt Cõcil. Trid. proponeretur.

CXII. Quocirca ferendum non est, quod Lutherani negant, iustum posse diuine legi satisfacere, vt peccata mortalia vitet. Et quanquã aliquorum concedant necessariam esse obedientiam, et obseruationem mandatorum, vsq; adeo tamen illam inchoatam; & maneam esse volunt, vt non modò leuiter omnia peccata vitare iustus non possit (nam si propter hoc solũ inchoatam obedientiam dicerent, non magnopere de vocabulo contenderemus) sed etiam, vt cum iustus præceptum seruat, opus bonũ ex genere exercendo, mortaliter vitet peccet, quamuis ex misericordia Dei venialiter: non quod leuiter peccet, sed quia facile Deus ignoscit. Procedere namq; auct, tale opus à voluntate Dei rebelli, à corde contumaci, ab intellectu obtenebrato, ab appetitu sensiuo repugnanti legi Dei; & deniq; ab horribili, vt ipsi vocant, deprauatione totius nature, atq; adeo à peccato originali, quod semper manere in renatis putant. Et cum S. Petrus dicat: Hoc enim facientes, nõ peccabitis aliquando: Ipsi contra hoc facientes, semper peccare, non verentur dicere: In quo, quis non videt, quam secum pugnent? quam & impiè & absurde loquantur.

CXIII. Si impossibile iustis est, etiam cum Diuino auxilio, legi satisfacere, ita, vt nullum præceptum plenè possint adimplere; qui igitur mortaliter peccant, non præstando, quod præstare non possunt: quomodo (quod necesse est, si quis peccat) contra Dei voluntatem, et præceptum faciunt? quippe qui nequaquã frustra, ne dicam crudeliter, vult in hac vita hominẽ præstare, qui facere nullo modo potest: aut si nihilominus mortaliter peccant, & contra voluntatẽ Dei faciunt? Quid est, quod hortatur Deus passim in Scripturis, contra ad legis obedientiam? cur præmium pollicetur propter illam? nunquid placet Deo offensa eius?

Deutero. 30. & Matthai 11. Iacob. 1.

Ita in ca. 6. Con. Aug. & Philip. in loco de bonis operibus, & Kẽnit. cõtra ca. 11. Sess. 6.

CXIII. Placet (inquiunt Lutherani) Deo manca obedientia iustis, propter merita Christi Domini, cui iustus per fidem est reconciliatus, quatenus in se contaminata sit, & digna damnatione. Egregios encomiastas Christi, meritorum eius, qui vsq; adeo amantem peccati eum faciunt, vt teo cruciatu, tam acerbam mortem subierit, vt opera, quæ secundum se, istorum seruorum peccata verè sunt damnatione digna, æterno Patri grata essent. Hocne est Christum venisse ad destruenda peccata, & nõ potius, vt eorum susciperet peccata? Quanquã, qui potuit Christus mereri id, quod est impossibile? Quod verò magis impossibile, quàm placere Deo peccata, propter quamcumq; causam extrinsecam? quandoquidem intrinsecum illis est, vt diuina voluntati displiceant q̃.

CXV. Igitur, ut has Lutheranorum tenebras discutiamus, intelligere oportet, quamuis Deus hominem initio rectum naturaliter, fecerit (ut supra exposuimus) non tamen præcepisse, ut bona opera ex illa rectitudine & integritate iustitiæ originalis prodirent: sed ut præcepta aliò qui data homini secundum ipsius naturam specificam, quam semper retinet, exequi moraliter posset; auctus est dono iustitiæ, ut supra vidimus. Nusquam tamen præceptum extat, quo iussus sit ex ea iustitiæ originali operari, ut isti homines somnariæ videntur, contra aperta Scripturæ testimonia allata, quibus cum obedientia, & obseruantia legis, quæ iam utiq; præstari potest, probetur; non obscure indicatur, per præcepta solùm iniungi actus bonos, qui fieri sine iustitiæ originali possunt. Certè; si Deus præcepisset opera ex iustitiæ originali rectitudine fieri, quæ ipsius est providentiæ suauitas, ita homini prospexisset, ut iustitiæ originalis aliqua via recuperare posset, ne perpetuò oporteret eum legis esse præuicatorum. Sicut iam etiam via patet recuperandi gratiæ, quæ ad viuanda omnia mortalia peccata, & ad consequendam beatitudinem est necessaria.

CXVI. Ex hoc unico fundamento posito, omnis hæreticorum doctrina de inchoata obedientia refutatur. Nam si nõ absurdissimè procedere in sua doctrina velint, hoc in primis debeant ostendere; non modò hominem præcepto obligari ad actiones exercendas; sed etiam ad illam circumstantiam, ut videlicet ex rectitudine iustitiæ originalis procedant. Quod cum nunquã probare possint, frustra inchoatam obedientiam dicunt, opus à natura profectum, nondum penitus integritati pristina restituta: frustra id opus propterea peccatum mortale appellant ex naturæ imbecillitate, licet non (ut inquirunt) contra conscientiam, cuiusmodi est opus malum ex genere: frustra deniq; plerq; alia absurda suscipiunt, ut monstrent, quomodò & à quo lex plenè obseruetur: quale est illud, quod^a Bucerus dicit, Deum esse, qui præcepta pro nobis seruat: nec minus crasse^b Kemnitius; quod nos perfectè facere præcipimur, neque exequi possumus; Christum adimplere, in quo proinde legi satisfacimus.

CXVII. Scilicet, Deo, & Christo Domino data sunt præcepta, ut cum ab illis seruata fuerint, tunc demum sit legi satisfactum; illos oportet ieiunare, credere, poenitere, sperare &c. Si ita isti Theologi interpretantur id quod ipse legislator Deus inquit: Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est &c. sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum: Et quod Christus etiam illi^d adolescenti aeternæ vitæ cupido cõsultuit, ut mandata seruaret, nã difficulter nobis persuadebunt, se puro verbo Dei nisi germanè ipsius sensum penitus percipere. Credemus potius^e Tertulliano, ^f Ambrosio, ^g Basilio, ^h Chrysostomo, ⁱ Hieronymo, ^k Augustino, aliisque Catholicis Doctoribus, qui omnes, ex diuinis Scripturis didicerunt, hominem cum Dei

a Lib. de cõcordia controu.
b cõc. c. 11. Sess. 6

c Deut. 30.
d Matth. 19.
e li. aduert. Marcionem.
f li. de Iacob. & vita be. c. 3.
g in regulis Monach. c. 83.
h Hõ. 7. de laudib. D. Pauli.
i In exp. Symboli ad Damasum.
k de nat. & grat. c. 43. & 69. & de gra. & lib. arb. c. 16.

In Con. Arauf.
can. 25. & Trid.
c. 11. & Can. 23.

auxilio, ita posse legem Dei seruare, vt mortalia omnia peccata vitet, quous interdiu in leuia incurrat; idq; etiam ab Ecclesia est definitum.

CXVIII. Mitto, istos non nisi aërem verberare, cum in homine ita per gratiã sano, peccatũ originale manere semper clamitant, à quo omnia operantur efficiantur; cum horribilia illa monstra singat supra memorata. Nisi forte quãdam dicunt voluntatem rebellem, intellectum obtenebratũ, cor contumax, terribilem naturæ deprauationẽ, declarare tantũ volunt, quod ipsi in se (quoniam Ecclesie ac Deo rebelles sunt, & contumaces) iure experiuntur. Certè, quoniam gratiam est receptus, facultatem iam habet omnia peccata mortalia vitandi, vt supra explicauimus: ac proinde cum ita sit per gratiã, habitualiter ad Deum conuersus, peccato originali caret; quippe, quod (vt aliàs est declaradum) priuatiũ est huius habitualis conuersionis ad Deum immediatè, propter peccatum Adæ in homine subsecuta. Vnde fit, vt, nec si iterum homo, propter proprium peccatum eam priuationem incurrat; meritò peccato originali obstrictus dici possit, quia iam non immediatè propter Adæ peccatum, sed propter propriũ personale, auersus est à Deo. Multo verò minùs, peccato originali tenetur, qui ad hoc iustus perseverat. Quod verò is etiam maneat obnoxius leuioribus culpis, non est, quod tam horribiliter exprimat, quàm isti faciunt.

CXIX. Prætereamus porrò scripturæ locos, quos iidem heretici deprauant, vt iustorum obedientiæ laudem detrahant, quam illi, eadem S. Scriptura tribuit. Sunt illa sæpius à Catholicis explicata. Quoniam vni dissimulare non possumus, quo^a Philippus & Kemnitius vtuntur: Cum feceritis, inquit Christus) omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, quia serui inuitiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Minimè igitur legi satisfacimus, sed peccamus illam adimplendo. Non vident acuti Theologi, quid hac interpretatiõne efficiant; videlicet concludunt (si ita locus exponitur) Christum Dominum nos in luculentum mendacium, idq; duplex, impulsisse.

CXX. Nam si eius, quod dicimus, serui inuitiles sumus, sensus est: inchoatè obediimus; perinde erit atque dicere, non omne id, quod præcepto notatur, nos fecisse; ita mentiemur illud dicentes: Postea quã omnia fecimus. Inno. Si legi obedientes peccamus; falsò dicemus, quod debuimus facere, fecimus. Nemo enim id, quod peccatum est, debuit facere. Ergò, vt ne mentiamur verba illa, Serui inuitiles sumus, non ad mancã obedientiã, & qua sit peccatum, referenda sunt; sed ad animum submitendum confundendumq; pertinent, quod cum tot beneficiis diuinis sumus affecti, non satis sumus grati; vix aliquod maioris perfectionis obsequium, præter id quod est debitum, Deo prestamus. Ita, premi potiùs eo loco aduersarij poterunt, ex quo non obscurè patet accidere, vt quis totum id, quod iussus est, seruauerit.

¶ Vbi supra.
Lucæ 17.

CAPVT

CAPVT TERTIVM,

Quo declaratur, qui proprius effectus gratiae sanantis sit, & qui non sit.

CXXI. Constituimus igitur haftenus, hominis naturam sic per gratiam sanari, ut mortalia quidem omnia longo tempore, atq; adeo per totam vitam, vitare possit; venialia vero non possit. Neq; verò frustra diximus longo tempore: Significare enim ita volumus proprium effectum, secundum legem ordinariam, gratiae sanantis, sine qua nimirum omnia mortalia vitari, seruando omnia praecepta, vel supernaturalia, vel etiam naturalia, longo tempore, humanitus, seu moraliter, non possunt; quicquid sit, quod ad naturalia praecepta attinet, si physicè aut metaphysicè extremas vires naturae humanae (quae moraliter nunquam adhibentur) consideres. Docet enim experientia, quam magistram sequimur in rebus moralibus, verisimè dictum esse à S. Gregorio: Peccatum, quod per poenitentiam non deletur, suo pondere hominem ad aliud trahere. Ac generatim imbecilles esse naturae nostrae vires, ad praecepta Dei seruanda, si sit omni alio presidio destituta; intelligi satis potest ex iis, quae supra de naturae humanae constitutione, & ex iis etiam, quae attulimus; ut probaremus, gratia actuali, nedum habituali sanante opus esse, ut quis diu sese contineat, quin letaliter peccet.

CXXII. Caterùm autem, illorum Theologorum sententia probatur nobis, qui ad quoduis opus morale bonum, & praecepta dumtaxat naturalia breui tempore occurrentia seruanda, necessarium esse auxilium aliquod gratiae supernaturalis, negant. Neque enim in proximo (verbi gratia) salutando, in diligendo amico, in matrimonio contrahendo, nullo proposito malo fine, aut circumstantia vitiosa adiuncta; tanta est difficultas, quantam esse oportet, si auxilium gratiae requiritur. Atqui si nupserit virgo, inquit D. Paulus, non peccabit. Ac mirum sanè esset, si quis sine gratia, vires sufficientes ad erogandam v. g. eleemosynam propter malum finem, inanis nempe gloriae, haberet; propter bonum vero, ut videlicet proximus sustentetur, non haberet.

CXXIII. Adde, inclinationem, suprema praesertim partis hominis, minime in natura, tamen si gratia & iustitia destituta, extinctam esse. Quin imò forsitan, maior est quam ad malum; utpote quae perfectior est, & obiectum magis homini (etiam gratia destituta) consentaneum respicit: Neq; usquam Scriptura dicit, hominem ad malum magis, quam ad bonum pronum esse; sed tantum queritur, eum ad malum, iustitia originali perdita, inclinatum esse. Sicut igitur propter inclinationem, qua homo impellitur ad malum, procliuè est ei, multa mala facere; & adeo procliuè, ut sine gratia non possit omnia mala

Super Ezech.
Homil. 13.

1. Cor. 7.

Libr. de sp. &
litt. c. 28. Vide
etiam cap. 2. &
lib. 3. Hipogno.

Seſſio. 6. can. 7.

vitare; ita etiam propter inclinationem ad bonum erit illi facile, multa bona naturæ viribus præſtare: id quod acutè tetigiſſe videtur Divus Auguſtinus, cum inquit, ſine aliquibus bonis operibus diſſicillimum eſſe vitam continentibus impij reperiri.

CXXIII. At enim, bonum opus in Deum ex dilectione referri non poteſt, ſine auxilio gratiæ. Primum, ad abſolutam actus reſtitutionem moralem, non requiri relationem eam, ex charitate ſupernaturali; in Concilio Tridentino definitum eſt, hoc ipſo quod negatum eſt omnia opera peccatoris, ſupernaturali charitate carentis, peccata eſſe oportere; id quod & impiè, & imperiè ex corruptione naturæ deducunt Lutherani. Nò enim operari iubentur ex natura integritate, uti ſatis ſuprà eſt declaratum. Si verò quis relationem ex dilectione Dei naturali requirit, ne eam quidem neceſſe eſt, actualem eſſe; ſatis enim bonum opus, quæ bonum quoddam eſt, ſuapte natura ad Deum ſummum bonum, atque adeò ultimum bonorum omnium ſinem, dirigi.

CXXV. Quanquam, ſi maximè, ex actualiter elicta naturali Dei dilectione, etiam ſuper omnia, bonum opus referri in Deum oporteret: Non tamen eò certum eſſet, naturæ vires eſſe inſufficientes ad bonum quoddam opus exercendum. Habet enim ſuam probabilitatem (ſi commodè exponatur) eorum Theologorum opinio, qui concedunt, naturalem dilectionem Dei ſuper omnia, quatenus eſt finis ſive cauſa naturalis (hoc eſt, qua promptus homo reddatur ad omnia præcepta, duntaxat naturalia, neque ad beatitudinem ſufficientiam, cum occurrunt, ſervanda) ſolius naturæ viribus elici poſſe; quando tamen affectus ad peccatum non viget. Eum enim affectum, certum eſt, cum quovis amore Dei actuali ſuper omnia pugnare. Ac certè quidem, eiſmodi naturalem dilectionem Dei, ad breve ſaltem tempus, ſine gratiâ poſſe elici, non eſt, omninò improbable. Quinimò conſequenter ab illis videtur concedendum, qui admittunt quod ſupra poſuimus, brevi tempore ſine gratiâ poſſe omnia præcepta naturalia interim occurrentia ſervari.

CXXVI. In conſeſſo namque eſt apud omnes, obſervationem omnium mandatorum ita eſſe cum dilectione ſuper omnia connexam, ut reciproca ſint hæc duo: Undè & ſcriptum eſt; ſi quis diligit me, ſermonem meum ſervabit. Et: qui habet mandata mea & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me. Ex quo videtur conſequens, ut brevi eo tempore, quo homo promptus eſſe ſine gratiâ poteſt, ad ſervanda omnia mandata naturalia, quocumque tandem illorum tunc occurreret; eodem etiam tempore poſſit in illo homine ſine gratiâ vigere amor Dei naturalis ſuper omnia.

CXXVII. Et verò, credibile vix fit, ut diu homo poſſit natura viribus ſervare

bus seipsum creaturamue aliam super omnia peruerse amare, ita ut eius causa vitam ponere non dubitet; & tamen iisdem viribus non possit, illo modo, saltem ad breue tempus, rebus omnibus Deum antepone, quatenus finis est, & autor naturalis: quem ut amet, & plures habet rationes, & maiorem inclinationem: Cuius præterea mandatorum observatio, breui saltem tempore, si cum iis facinoribus conferatur, quæ sceleratus quispiam pro amore alicuius creaturæ suscipit, minima videatur esse difficultatis. Maxime quod amor creaturæ, violationem omnium præceptorum Dei requirere possit, ut si quis malo demoni se deuoueret, quæ profecto non videtur esse minoris difficultatis, quam omnium observatio.

CXXXVIII. Neque enim (ut supra exposuimus) verum esse videtur, humanam naturam gratia destitutam, maiores vires ad malum habere, quam ad bonum; quando de eiusmodi bono sermo est, quod naturalem ordinem non transcendat, sed est secundum illum, sicut est imprimis hæc naturalis dilectio, de qua loquimur. Diximus enim supra, inclinationem ad bonum vehementer esse; quanquam verum sit, facilius esse, diu in malo permanere, quam in bono; propterea quoddam sensibilia, ut magis & facilius nota, magis mouent; quæ quidem causa est, ut infinitus sit numerus stultorum: quippe diu adhaerentes bono creato, penitentiam supernaturalem negligunt. Tamen si hi quoque (quod argumentum est maioris inclinationis ad bonum) plura opera moraliter bona, quæ non sint peccata, faciant, quam mala; sed hæc maior facilitas diutius persistendi in malo quam in bono; proposito nostro nihil obstat. Nam hic non contendimus probare diuturnum esse posse prædictum amorem, sed tantum ad breue tempus.

CXXXIX. Fatemur namque, sicut longo tempore, quis sine gratia sanante non potest mandata omnia seruare, sic etiam neque posse illum dilectione Dei naturalem super omnia diu retinere. Incidunt enim longo tempore multa, quæ homo diuina gratia destitutus, & sui, ex naturæ corruptione, nimium amans, Dei amori facile antepone. Atque hoc quidem pacto gratiores aliqui Theologi intelligendi videntur, qui Patres sequuti, simpliciter docent; naturæ corruptionem obflare, quod minus sine gratia homo queat Deum diligere super omnia. Non enim obstat, nisi quatenus ad priuatum bonum impellit neglectis Dei præceptis; non est autem necesse id accidere quocumque breui tempore, sed longo. Itaque mens Patrum est, non posse, etiam naturali dilectione, amari Deum super omnia simpliciter quocumque tempore occurrant; & ut esse etiam possunt, impedimento, observationi supernaturalium mandatorum. Ut enim his modis quis Deum super omnia simpliciter diligat, certissimum est gratiam requiri.

CXXX. Sed

CXXX. Sed nunquid, dilectio illa qualiscunq̄ Dei super omnia, naturalis, quam ad breue tempus vigere posse, sine gratia, probabile esse diximus, ad gratiam acquirendam, atque adeo ad beatitudinem sufficiet? Minime gratum. Sed alia supernaturalis dilectio altioris longē ordinis requiritur, quae sit super omnia simpliciter, atq̄, adeo ad seruanda omnia omnino praecepta etiam supernaturalia, & longo tempore sufficiat. Quae quidem dilectio, illa ipsa est, quam supra in dispositionibus ad gratiam, numerauimus, & contra Pelagianum ostendimus, supernaturalem esse oportere; quae prouidē solis viribus naturae haberi nequeat. Etenim, ut duplex est Dei erga hominem dilectio (quae modum initio huius disputationis vidimus) altera, qua natura donis eius ornat; altera, qua supernaturalibus gratiis; Sic etiā duplex mutuis amor super omnia Deo debetur; alter, ex naturae bono proficiscens, qui prouidē ad praecepta naturalia tantum seruanda pertinet, neque sufficit ad gratiam obtinendam; alter supernaturalis, ac diuini ordinis; qui ab ipsa supernaturali gratia proficiscitur, quo hominem in Deum conuerti oportet, ut eadem gratia supernaturali ornatur; id quod debita illa proportio supernaturalis ordinis requirit, de qua supra multa diximus, cum de dispositione ad gratiam ageremus.

CXXXI. Perspicua satis est haec duplicis dilectionis distinctio: quam certam huius temporis Sectarij intelligant. Viderent, nihil habere hanc doctrinam cum Pelagianismo commune. Sed ad rem. Quoniam haec charitas supernaturalis, quae sine gratia haberi nequit, est etiam id, quod, ut infra videmus, bonis operibus merendi vitam aeternam, efficaciam tribuit; idcirco supra tantum concessimus, hominem sine gratia quoduis opus bonum moraliter efficere posse; aut quoduis, praeceptum naturale duntaxat, seruare. Verum r̄m significarem, nequaquam sine gratia posse fieri opera bona meritoria, quae ad salutem consequendam valeant. Atq̄ hoc tantum est, quod aliqui possunt concludere, quando multa, vel ex Scriptura, vel ex Patribus, vel ex Conciliis afferunt, ut probent; nullum opus bonum sine auxilio gratiae fieri posse.

CXXXII. Est enim Scriptura, atque adeo doctrinae Ecclesiae praescriptae, ut ea sepe opera tantum absolute bona nominentur, quae ad salutem valent, vel quia beatitudinem merentur, vel quia ad gratiam etiam, proximo dispo-
nunt. Reliqua tamen bona opera moraliter sunt, à Theologis tamen quia per se considerationem ad finem supernaturalem dirigunt, pro nihilo reputantur. Vnde D. Paulus: Praeputium (inquit) nihil est, neque circumcisio, &c. Si habuero omnem prophetiam &c. Charitatem autem non habuero nihil sum. Et iterum; In Christo Iesu neque praepitium aliquid valet, neque circumcisio, sed noua creatura. Et D. Augustinus: Vbi non est (inquit) dilectio charitatis, nullum bonum opus imputatur, neque recte bonum opus vocatur.

1. Cor. 7.
Ibidem. 13.
Gal. 6.
Libr. de Gratia
Christi contra
Pelag. cap. 26.

CXXXIII. Libr.

CXXXIII. *Ludit ergò Kemnitius operam, cum, locis vndiq̄ con-*
quisitis contra Pelagium, concludit; opera ad salutem pertinentia, ab homine Cōtra 7. Sess. 6.
gratia destituta, effici non posse. Manet enim nihilominus quod, Concilium do-
cet; non omnia opera extra gratiam facta, peccata esse oportere; possunt enim,
vt docuimus, esse bona moraliter. Quæ doctrina media est inter duos errores,
quorum alter est Pelagij, opera sine gratia ad salutem valere contententis:
Lutheri alter, contrà assèrentis, omnia quantumuis à gratia procedant, nec-
dum ea remota, peccata esse: quorum vterque satis est supra refutatus. Atq̄
hic finis sit eorum, quæ ad naturæ sanitatem pertinent, atque ad eò ad operan-
di facultatem, quam ei gratia tribuit.

CAPVT QVARTVM,
Quomodo homo per gratiam iustus, & gratus sit Deo,
& ei peccata remittantur,

CXXXIII. *Perfpicitur etiam diuina gratia vis ex eo, quòd homi-*
nem iustum efficit, quòd gratum Deo, quòd per eam illi peccata remittan-
tur; quæ omnia ex iis, quæ hætenus disputauimus, facillimè expediti pos-
sunt. Quia enim, gratia facultatem præstat, vt homo rectè sese quemadmodum
debet, erga Deum gerat, diuinis mandatis adimplendis; iustitia dicitur, atque
ad eò hominem iustum efficere; quòd iam valeat debitum obsequium Deo præ-
stare, & secundum aliqualem æqualitatem obligationi satisfaciat, quæ est
illi propter tot tantaq̄ue beneficia deuinctus. Sicut contrà, homo peccator, & à
Deo auersus, iniustus dicitur; quia gratia destitutus est, ac perindè mortali-
bus peccatis obnoxius, quibus iniquè se erga Deum gerat, contrà, ac debet, fa-
ciendo. Ex quo illud Ioan: Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit,
& peccatum est iniquitas: quod præsertim de mortali intelligitur. Contrà ve-
rò, D. Paulus de gratia loquens: Iustitia, inquit, Dei per fidem Iesu Christi in
omnes, & super omnes, qui credunt in ipsum.

Epist. 1. cap. 3.

Rom. 3.

CXXXV. *Hinc satis intelligitur, rectè iustificationem ab Orthodoxis* Ita in Cō. Trid.
Doctoribus, translationem seu transmutationem à statu peccati, in statum gra- Sess. 6. cap. 4.
tia, appellari. Hac enim transmutatione homo fit ex iniusto iustus; quæ qui-
dem tum sæpè aliàs, tum verò dilucidè expressa à D. Paulo est: vbi, postquam
varia scelera numerauit, & hæc, inquit (Corinthios appellat) aliquando fui-
stis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Do-
mini nostri Iesu Christi.

1. Cor. 6.

CXXXVI. *Nec difficilius est, ex supra dictis de natura gratia, collige-*
re, quare etiam per eam homo gratus esse Deo asseratur: Nimirum, quia hanc

F diuinam

diuinam qualitatem recipiens retinensq; supernaturalem illam dilectionē Dei terminat, per quam supra docuimus eam gratiā homini impartiri, atq; ita Deo dilectus est per illam. Idem verò est in proposito dilectū esse, quod gratum esse. Quamuis autē quodcumq; aliud gratuitum donū homo recipiat, eo ipso, alio modo supernaturaliter à Deo diligatur (quidquid enim boni Deus cum creatura communicat, amore communicat; reciprocatur siquidē hæc duo, ut iustitio disputationis ostensum est) non tamen absolute Deo gratus, aut dilectus, perinde dici consuevit; sed tunc demum sic rectissime nominatur, quando gratia hæc potissima, de qua iam dudum loquimur, afficitur; qua qui est ornatus, peculiariter filius Dei adoptiuus in Scripturis dicitur; hoc est, ad æternam hereditatem suo tempore, nisi sibi desit, ad eundem acceptatus; bonum omnium maximum, quæ ex diuina dilectione in hominem permanere possunt.

CXXXVII. Iam, ut pari breuitate explicemus quemadmodum per gratiam hæc peccata remittantur, intelligendum est imprimis, hominem personali peccato esse obstrictum, aut in statu peccati esse, vitioso actū transactis, non esse aliud, quàm hominem transgressione præcepti, grauiter Deum offensisse; & idcirco gratia destitutum esse. Id quod, vno verbo dici solet, peccati macula, propter dictam absentiam splendoris gratiæ; vel, peccatum habitualiter manens, quia status is peccati perinde manere solet, atque si esset habitus quæpiam: vel denique auersio habitualis à Deo, quia postquam sese peccator à DEO auertit, aliquam creaturam nimium amans; tamdiu à Deo auersus, & ad creaturam conuersus esse censetur; quamdiu à creatura per salutarem penitentiam perfecte non recedens, Deo non reconciliatur, gratiæ susceptione; quo fit vt macula, auersio, peccatum habitualiter manens, sola ratione distinguantur.

CXXXVIII. Similiter, peccato originali inquinatum esse, aliud est nihil, quàm propter Adami inobedientiam, hominem ab eo descendentem, esse destitutum reſtitutione illa de qua supra sumus loquuti, atq; adeo auersum esse à Deo, vti supra quoque attigimus. Ex quibus intelligitur, eum qui peccato est obstrictus, non solum diuinum odium terminare, quatenus decreto diuini ad malum pena æternæ est destinatus; sed etiam, quatenus, malum priuationis gratiæ, propter actionem prauam præcedentem, iure sustinet, aut propter inobedientiam Adæ malum priuationis reſtitutionis.

CXXXIX. Ex his est perspicuum, per habitualem gratiam peccatum personale imprimis ita remitti, vt, & offensa actualis præterita condonetur, & macula siue peccatum habitualiter manens, à quo quis peccator dicitur, funditus deleatur. Nam, cum Deus supernaturaliter hominem diligens, eum gratia hæc ornat; hoc ipso, deponit odium, quod homo terminabat malum ob-

sentia gratia sustinens: & consequenter etiam illud, quo ad penam aeternam destinabatur. Atquò offensam, siue peccatum prateritum remittere, aliud nihil est, quàm odium deponere, quo persona offensa, persequatur offendentem. Item hoc ipso, quòd homo gratia ornatur, iam non est eius priuatione maculatus.

CXL. Neque verò hoc ita intelligas, quasi Deus mutetur, cum iam odio, iam amore supernaturali hominem prosequitur. Etenim quia ipsius voluntas infinita perfectionis est, atque adeò immota, & eadem profuerans, ad omnia sufficiens, reali in se mutatione non indiget; ut iam amare, iam odio creaturam habere dicatur: sed variè sic illam nominamus, quatenus virtute illius, eodem modo semper in re, se habentis, nunc homo gratia ornatur, atque ita diligì à Deo dicitur; nunc illa propter peccatum actuale transactum desituitur, atque ideò habetur odio. Ex quo quidem non obscure sequitur meritò à doctissimis defendi; ne potentia quidem absoluta Dei fieri posse, ut peccatum personale, de quo iam loquimur, sine dono gratia perfectè remittatur. Nam quamdiu gratia per diuinam dilectionem non restituitur homini, qui actu malo praterito Deum offendit; propter quod, voluit Deus gratia illum esse desitutum; tam diu manet id, per quod homo odium DEI terminat, & consequenter tandiu manet odium. Neq; enim diuina entitas mutari villo modo potest, obiecto inmutato. Atquò odio manente, offensa non remittitur.

CXLI. Ad eundem modum intelligendum est; originale peccatum per gratiam deleri; quippe qua, ut supra etiam diximus, priuatio relictitudinis, hoc est auersio à Deo, ex qua homo grauioribus conscientia lapsibus, obnoxius sit, tollitur. Quanquam est discrimen, quòd cum Deus gratia afficit eum, qui peccato originali tenebatur, atque adeò id peccatum ei remittit, non deponit eo ipso aliquod odium, susceptum antea erga illum, propter actionem prauam prateritam, qua fuerit propria eius hominis, & quam iam ei condonet; ut facit quando remittit peccatum personale; sed eatenus tantum peccatum originale alicui remittit, quatenus illud delet gratia infusione, & iam propter illud ad penam damni eum non destimat, quam antea propter id peccatum, meritò homini decreuerat. Siquidem verum peccatum est, & in vnoquoque homine proprium, etsi longè alterius rationis, quàm sit peccatù actuale. Id quod aliàs esset copiosius declarandum.

CXLII. Virum verò, ne potentia quidem Dei absoluta, peccatum originale remitti deleriue possit sine gratia, alia est quaestio; ac forsitan non est par ratio, atque de remissione peccati personalis. Quoniam peccatum originale, non est priuatio relictitudinis, qua determinatè constet hac, vel illa qualitate; ut clarè patet ex eo, quòd si iustitia originalis, sine gratia homini restitueretur;

concederent doctissimi, illud tolli, & fides quoque iam docet, tolli etiam per gratiam sine iustitia; sed videtur esse privatio refectionis absolute, & deinde tandem provenientis. Quare probabiliter dici posset per quodvis alium donum, peccatum originale potentia absoluta deleri posse, modo facultatem praestaret vitandi peccata omnia mortalia. Saltem quae sunt contra praecepta naturalia.

CXLIII. Verum, quicquid sit de hoc, secundum potentiam Dei absolutam, dicendum, certè secundum legem ordinariam constat, nullum omnino peccatum mortale, absque habituali gratia remitti, ac deleri; per illam verò quodvis, sicut est explicatum. Docent hoc imprimis omnes scripturae loci, quoniam in quorum peccata remissa sunt, iusti, sancti, mundi, renouati, abluuntur. Quod planè intelligi (sicut scriptura debet, quando nihil obstat) non potest, nisi interno aliquo dono tales afficiantur. Nihil enim est aliud, in se esse, quam habere in se propriam iustitiam. Sicut esse calidum, aliud est nihil, quam habere calorem. Definiuerunt idem, etiam Concilij Tridentini Patres. Quid multa? Osum satis hoc est supra à nobis, quando tum ex conditione diuinae dilectionis, tum ex Scripturis docuimus; ex dilectione supernaturali doni, quod manare oportere, quo is afficiatur, cui in hac vita peccata remittuntur.

Iuxta D. Augu.
lib. 2. de doctrina
Christiana.

CAPVT QVINTVM,

Quo, haereticorum errores circa iustificationem, & remissionem peccatorum deteguntur.

CXLIII. Patefecimus breuiter, quemadmodum homo per gratiam habitalem, & iustus sit, & gratus Deo, & ei peccata ita remittantur, ut tollatur quoque. De quibus omnibus ij, qui nouandae religioni dant operam, longe aliter ratiocinantur: quod homines candidi, adeo sophistae neg. sunt, neque videri volunt, ut quid sit Dei dilectio; quid hominem esse Deo gratum; quid deniq. peccati remitti, non satis percipiant. Ita in absurda plurima incurunt.

CXLV. Dicunt, hominem iustum esse, & gratum Deo, non per aliquod donum in ipso inherens, sed ipsissima iustitia, & gratia Christi. Si intelligerent, gratum dilectumue Deo, atq. adeo iustum esse, aliud esse nihil, quam, ut supra declarauimus, secundum munus aliquod à Deo acceptum, diuinam dilectionem terminare; viderent, tam absurde dici, hominem iustum, & gratum esse per solam gratiam Christi; quam hominem recipere in se gratiam, ac iustitiam Christi.

CXLVI. Sed idcirco ballucinantur, quod existant, gratia, in quam homo recipitur, esse solam acceptationem ad gloriam, quae homini, propter Christum, praerogatur, ac decernitur, si perseuerauerit: aut fauorem quandam, nescio quomodo, bene amorem extrinsecum. Quod quam sit falsum, ex supra dictis de naturae gratiae constare

constare potest. Nam homo, qui in gratiam recipitur, non solum est is, cui Deus beatitudinem futuram promittit, secundum quam, futuro tempore, quando eam recipiet, erit Deo dilectus, & amatus; sed pro hoc etiam tempore obiectum est diuinae, & supernaturalis dilectionis, ut ex Scripturis patet. Quod, ut initio huius disputationis monstrauimus, intelligi non potest, nisi bonum aliquod supernaturale, hoc etiam tempore à Deo recipiat, secundum quod terminet diuinam dilectionem, atque adeo sit formaliter dilectus, & gratus supernaturaliter. Sicut, secundum bona naturalia, Deo dilecta, & grata naturaliter est, quænis creatura.

CXLVII. Neque verò rectè dici potest, hoc ipso formaliter, pro hoc tempore hominem à Deo peculiariter amari, quòd ei iam promittit futuram beatitudinem, postea conferendam. Ut enim velle, ac promittere alicui bonum futuro tempore conferendum, non est velle illi id bonum pro hoc tempore, sed pro futuro; ita etiam neque est, amare illum pro hoc tempore, sed pro futuro. Est enim eodè modo de amore, & de voluntate boni sentiendū. Ac solet quidem contingere, ut cum homo quidpiam alij homini promittit, eodem etiam tempore peculiariter illum amet, (tametsi tunc nullum illi bonum impertiat) pro hoc videlicet, quòd peculiari affectu de nouo elicito, illum, bona aliunde habita, vult retinere; ex quibus mouetur, ut alia præterea illi promittat. Deus autem, quia in se secundum affectum mutari non potest, sicut homo; ut, quando promittit, simul etiam, tunc temporis, peculiariter amet; necesse est ab ipso aliquod bonum peculiare eodem tempore ad hominem derivari; ut secundum peculiarem hominis amati duntaxat mutationem, peculiaris Dei amor erga illum, existere intelligatur. Ex quo fit, ut per donum, eam mutatione, acceptum Deo formaliter homo sit, siue dilectus, siue gratus.

CXLVIII. Atque hoc profectò, Kemnitius & Melancthon, si tam docti fuissent, quam videri voluerunt, tunc saltem percepissent, aduertissentque; quando, conuicti, tandem concesserunt, diuinis quibusdam virtutibus, siue habitibus donari hominè in iustificatione. Ex hoc enim illicò sequitur per illas, aut earum potissimam, siue ea charitas sit, siue quæuis alia ab illa distincta, hominem Deo esse formaliter gratum. Sed viri boni ignorârunt propriam vocem. At, inquit Kemnitius, veterem Lutheranorum cantilenam repetens, si propriis qualitatibus homo iustus & gratus est, non igitur propter merita & gratiam Christi: quem tamen scriptura docent nobis factum esse redemptionem, & sanctificationem.

CXLIX. Negent, si poterunt, fieri posse, ut propter merita, & gratiam Christi, Deus nos diuino afficiat dono, atque ita diligat; & tunc concludant esse impossibile, ut per aliquam qualitatem formaliter simus Deo dilecti, &

F 3 simul

Sap. 11. 2. Reg.
12. Marci 10.
Ioan. 11. 13. 15.
Rom. 8. Eph. 2.
1. Thesal. 1.
1. Ioan. 4. Apo. 1

Contra cap. 7.
Seff. 6.

Cap. illo 7.

Rom. 5.

a Iob. 1. 1. Reg. 9.
Mat. 11. 1. Cor.
3. & 15. Ephe. 4.
2. Tim. 2.
Vide D. Aug. ep.
57. ad Dardanū,
& tract. 74. in
Ioan. & lib. de
gratia, & lib. ar-
bit. c. 9.
In serm. de Na-
tiuit. B. Virg.

Psalm. 50.
Psalm. 3.
In 1. enarratiōe
illius Psalmi.

simul propter merita, & gratiā Christi, tanquā propter causam, in eum o-
rem Deum inducentem. Quod si negare illud uerentur; intelligant, recte a
Concilij Tridentini Patribus dictum esse: *Quanquam nemo iustus esse possit,
nisi cui merita passionis Christi comunicantur; id tamen in impij iustificati-
one fieri, dum eiusdem sanctissimae passionis merito, per Spiritum sanctum, cha-
ritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inbe-
ret: Intelligant etiam, quae sit illius Paulinae sententiae vis: Sicut in Adam
omnes moriuntur, ita in Christo omnes uiuificantur. Nimirum, ut non si-
lum propter Adae peccatum; sed etiam proximè, per originale nostrum, quod
singuli proprium contraximus, Deo fuimus exossi; sic, non solum propter meri-
ta, & gratiam Christi, sed etiam formaliter & proximè, per gratiam misericordiae,
quo afficimur, Deo caros nos esse oportet. Praesertim, si uerè etiam dictum est:
*Vbi abundauit delictum, superabundare gratiam.**

C L. Hanc doctrinam, si perceperint aduersarij; sobriè merita, & gratiā
Christi cōmendabunt. Neq. oportebit eos, dum Christi gratiam predicare uo-
lunt, in eam esse blasphemos; sicut iam (cum bona ipsorum uenia) est negli-
tum. Nam si eadem iustitia Christi, iustos formaliter omnes efficit, non modo nulla
erit iustorum inaequalitas, contra^a Scripturas: neq. solum B. Virgo neminem
Sanctorum iustitia, & gratia superabit, quod Lutherus ueritus non est dice-
re; sed neq. Christus ipse; ut est perspicuum. Quod quis quae se ferat?

C L I. Docent praeterea, peccatum non tolli, cum remittitur, sed tantum
propter merita Christi, ad penam nō imputari, quibus proinde meritis totigitur,
tamen si maneat. Hic etiam satis ostendunt, se non intelligere; quid sit homi-
nem peccato teneri, transacta praua actione. Nam si uiderent, nihil esse aliud,
quam, uti supra docuimus, Diuino amore, & gratia primarij, propter offensam
quae prateriit, intelligerent etiam, illud tolli, quando in gratiam homo recipi-
tur, quicquid tandem nomine gratiae intelligant. Sed nescio quid, homines ad
magnoperè eruditi, peccati nomine, in animo infixū, ac permanenti, uane ima-
ginantur.

C L II. Aliter certè Dauid sentiebat, cum magnam esse misericordiam
Dei, quam isti paruam faciunt, agnoscens; deleri etiam sibi iniquitatem pe-
stulabat; ut immeritò eum isti Lutheranū faciant, quod alio in loco, beatus de-
xerit eos, quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Cui
quidem metaphora, nihil minus quam, Lutheranam sententiam de remis-
sione peccati subiectam esse; ex Augustino poterunt discere, qui, postquam
apertè dixit aboleri peccata; ac si coram Lutheranos alloqueretur: Nec se
(inquit) intelligatis, peccata cooperta sunt, quasi ibi sint, & uiuant. (non
uiciod negat peccatum regnare, postquam est remissum, sed etiā esse) Tecta er-
gi per

gò peccata quare dixit: *ut non viderentur*: Quid enim Deo erat videre peccata, nisi punire peccata. Itaque sententia Augustini, idcirco solum tegi peccata David aiebat, quia sicut tegimus quidpiam, ne videatur, ita Deus delet peccata, ne puniat.

CLIII. *Quin & David ipse, in eodem loco satis declarauit, non in eo esse metaphoram, ut quemadmodum, quod tegitur, manet, sic etiam peccata. Postquam enim dixit: Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, continue adiecit, neque est in spiritu eius dolus. Item illos, quorum remissa sunt iniquitates, extremis verbis psalmi iustos, & rectos corde appellat; quod quia potest verum esse, si peccatum remanet? Multa hic se offerebant, que vanam esse hæreticorum doctrinam de iustificatione, & remissione peccatorum, ostenderet, sed plura non patitur instituta breuitas. Maxime, quod que de requisitis ad gratiam, ac de eius natura supra disputauimus, ad iustificationem etiam referantur. Ergo, quod de merito dicendum etiam est, breuiter expediemus.*

CAPVT SEXTVM.

De Merito.

CLIII. *Si quis rectè consideret, quod hætenus disputauimus, hominem per gratiam sanum, iustum, ac gratum Deo reddi; is facillè intelliget huiusmodi gratiæ effectus formales tantum esse, quod ad denominationem, qui non re, sed ratione sola, à forma distingui solent. Quicquid enim re distinctum cõcesseris primariò significari nomine albi v. g. aut viuientis, ab albedine, aut vita, superuacaneum esse reperietur; quandoquidem optimè intelligitur res esse alba v. g. aut viuens, hoc ipso, quod rem albedinis, & vitæ habet. Ita in proposito, eadem res est, que primariò omnibus his vocabulis significatur, gratia, sanus, iustus, gratus. Nam ut hominem gratiâ præditum consideramus, per eam posse vitare omnia peccata mortalia, sanum dicimus: ut verò per eandem intelligimus eum præstare obsequium Deo debitum; iustum: & ut eam recipiens, amorem Dei terminat, gratum appellamus.*

CLV. *Meritum autem ex iustitia, siue condigno, (nam eius quod de congruo dicitur faciemus postea mentionem) ita effectus gratiæ ponitur, ut ab ipsa realiter distinguatur, tanquam actus ab habitu. Est enim actus bonus, per gratiam, & charitatem in Deum relatus, quem idem Deus propter Christi merita, promisit se secundum iustitiæ distributiua æqualitatem compensaturum vitæ æternæ, aliisque donis, que iustum, postquam in gratiam est receptus, ad beatitudinem consequendam, secundum legem ordinariam promouent. Hanc veluti descriptionem meriti, quoniam ea ferè continentur, que ad meriti doctrinam pertinent, explanare oportet.*

CLVI.

CLVI. Quod ponimus contra Pelagium, ex charitate, & gratia actum meritorium, procedere, ac in Deum referri debere, ex Scripturis constat; ex quibus, quoniam diuinam voluntatem, & ordinationem aperunt, qua tota merendi ratio nititur, ut patebit; probanda imprimis sunt, quae ad meritum pertinent. Gratia Dei, inquit D. Paulus, vita aeterna: Non, quod non detur propter merita, sed quia merita propter quae confertur, gratia nituntur, ut exponit Augustinus: qui eodem modo interpretatur, quod Euangelista dicit: De plenitudine eius, nos omnes accepimus, gratia pro gratia. Recte quippe (inquit) intelligitur Beatitudo, quae gratia pro gratia in Euangelio legitur, id est pro meritis, quae contulit gratia. Coniungunt hoc idem omnia illa Scripturae testimonia, quae, cum nos aliquid boni, sine gratia praestare posse, negant, ut supra diximus, intelligenda esse de operibus bonis, quibus beatitudinem proprie mereamur. Tale est illud Christi: Sine me nihil potestis facere. & illud S. Pauli: Si tradidero &c. charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.

Rom. 6.

Lib. de correctione & gratia cap. 13.
Ioan. 1.

Ioan. 14.
1. Cor. 13.

CLVII. Sciscitabitur autem quispiam fortassis, & quoniam pacto ex gratia, et charitate oporteat, bonum actum in Deum referri, ut sit vita aeterna meritorium? non ita quidem, ut ex actuali dilectione Dei, vel tunc, cum quis operatur; vel paulo ante habita, impelli ad actum exercendum, sit necesse; sed satis est (quemadmodum doctis placet) virtualiter referri, hoc ipso, quod quia habitum charitatis retinet, ex quo facile actum in Deum referret, si ad opportunitatem in mentem veniret; vel certe per actus dilectionis, quos interdum iustus habet, quibus, quoniam diligit Deum super omnia, velle confertur, omnia alia bona, non nisi secundum ordinem diuinae voluntatis amare, id est, propter ipsum Deum, quamuis postea cum facit, illius non recordetur.

CLVIII. Atque hoc Scripturae est magis consentaneum. Nam si alius modus relationis requireretur, non omne opus bonum iusti meritorium esset; cum non omne actu referatur, ut experientia patet. Insinuat autem D. Paulus omnia iustorum opera meritoria esse, cum inquit: Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis apud Dominum. Et, cum solum ad meritum videtur requirere, ut quis habeat charitatem. Ac Concilii quidem Tridentini Patres ad meritum solum videntur requirere iustitiam in eo qui operatur.

Hebr. 9.

1. Cor. 13.

Sess. 6. c. 16.

CLIX. Sic igitur in Deum relatus bonus actus iusti, vita aeterna meritorium est, quatenus Deus propter merita Christi promittit se illum ea compensaturum: Hoc enim in descriptione etiam posuimus, ut explicaremus, qualis sit obligatio, qua tenetur Deus, ut bona opera iustorum compenset, et antiqua vera merita, quaeq; sit illius radix. Videlicet enim, non est sola perfectio operis, aut gratia a qua procedit: Quidquid enim creatura praestit, ante habet

donum est Dei, quod proinde ex se, si ordinationem Dei secludamus, non potest Deum obligare ad aliquid aliud conferendum, sed potius hominem obligat Deo, ut pro suscepto munere gratus sit. Nec, si Deus opera iusti irremunerata secundum potestatem suam absolutam, relinqueret, (ut absolute posset) meritis iustus quereretur.

CLX. Obligatur ergo Deus potissimum sua promissione; qua, propter merita Christi, opera bona iustorum compensare, firmiter statuens, sese fecit illis debitorem. Ex qua quidem promissione, multo magis hominibus deumctus est, quam qui lege proprie sibi imposita a superiore, ad aliquid praestandum obligatur; siquidem non prestare, quamvis inique faceret, posset: Deus vero, quia natura sua fidelis est, ac permanet, omnino negare seipsum non potest. Ita, quanto arctior est divina haec obligatio, operis ex gratia procedentis compensandi; tanto id verius rationem meriti habet. Quippe cum, meritum obligationem respiciat reddendae mercedis, undecumque tandem ea oriatur, siue ex natura intrinseca operum, siue ex lege ordinatione extrinseca.

CLXI. Pulcherrime, ut solet omnia, D. Augustinus hanc doctrinam explicat, cum tractans locum illum D. Pauli: De reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex. Quid tibi (inquit) reddet, nisi quod tibi debet? unde tibi debet? quid ei dedisti? quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Debitor Dominus ipse fecit se, non accipiendo, sed promittendo; non ei dicitur, redde quod accepisti; sed, redde quod promissisti.

CLXII. Cauenda vero est haec quorundam hallucinatio, qui, quoniam Deus ex ordinatione, ac promissione sua mercedem reddit; idcirco eiusmodi retributionem liberalem, non ex iustitia debitam, putant esse; quemadmodum & ipsa promissio facta nobis est liberaliter. Non est ita; quamvis enim promissione illa nullum opus nostrum compensauerit, atque ita respectu nostri liberalis fuerit, & merè gratuita; ea tamen posita, iam est Deus obligatus propter suam immutabilitatem ad reddendum premium ex iustitia: quia promissit se illud redditurum in compensationem operum, secundum distributivae iustitiae aequalitatem, ut statim declarabimus.

CLXIII. Itaque rectè Concilij Tridentini Patres: Proponenda est, inquit, vita aeterna bene operantibus, & tanquam gratia filijs Dei, per Christum Dominum, misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione, bonis ipsorum operibus, & meritis, fideliter reddenda. Atque utinam intelligerent sectarij nostri, hanc congruentiam, gratia nobis fa-

G

Et in

2. Timot. 2.

Super Psal. 83

2. Timot. 4.

Sess. 6. c. 16.

Gen. 15. Esa. 40.
Matt. 5. Col. 3.
2. Tim. 4. Apo-
cal. 22. & alias
sæpè.

Et in promissione propter merita Christi, & obligationis iustitie ad præmium postea reddendum: viderent profectò, non esse contra aperta Scripturæ testimonia negandum; vitam æternam iustorum operibus tanquam veris meritis deberi, vt, quod est certissimum retineatur; eandem videlicet propter merita Christi imprimis conferri.

CLXIII. Manet enim id multò verius, si nostra etiam merita concedamus, tum quia meruit Christus Dominus, vt nos vitam æternam mereremur, nobis videlicet impetrando gratiam, & promissionem præmij, quæ obligatio illud reddendi nititur, atque ita excellentius multò nobis vitam æternam suis meritis peperit: Quandoquidem obtinuit ab æterno Patre, vt nobis daretur, non quomodocumque, sed ex obligatione in operum compensationem, quod est multò dignius: tum etiam, quia nihil vetat, variis modis **DEVM** induci ad aliquid conferendum; atque ita propter merita, tum Christi imprimis, tum etiam nostra, ab illis dependentia; vitam æternam impetiri.

^a In fine quest. 4. in loco de bonis operib.
^b cõtra cap. 16. Sess. 6.

CLXV. Ergò vanum est ^a Philippi & ^b Kemnij, aliorumq; Lutheranorum argumentum: Vita æterna datur iusto, propter merita Christi, ergò non propter merita propria. Si hæc forma argumentandi, tantoperè illis in vni controuersia placet; concludant etiam contra se, eodem modo; nullum præmium accidentale, aut temporale in hac vita, aut spirituale post illam, conferri nobis propter nostra merita; quod tamen aliò qui concedunt. Etenim facerè illos oportet, omne donum saltem spirituale, concedi propter Christum: In ipso enim docet D. Paulus benedici nos omni spiritali benedictione.

Ephes. 1.

CLXVI. Quòd si respondeant mereri hominem eiusmodi præmia accidentalia, non ex sola vi operum, sed ex vi gratiæ, & promissionis factæ pro Christo; & idcirco propter merita Christi, nihilominus conferri: Idem a nobis responsum accipiant, de operibus iusti, quæ vitæ æternæ dicimus esse meritòria. Nihil enim interesse inter præmium accidentale, & essentielle, quòd ad modum vtrunq; promerendi, Christus indicauit; cum in eodem sermone, eodem tenore verborum, vtrunq; sine discrimine proposuit ijs, qui rebus omnibus posthabitis, Deum sequuntur.

Matth. 19.

Vbi supra.

CLXVII. Notatu verò digna est Philippi & Kemnij insititia, qui adeò rationem meriti ignorauerunt, vt, etsi Scripturis conuicti concesserint; iustorum opera vitam æternam compensari, ex promissione diuina: negauerint tamen esse merita. Tantùm enim compensari, vt fructus, siue testimonia fidei, quæ sola (inquirunt) promissio præmij apprehenditur. Ita, omnia
Theolo.

Theologia istorum posita est in quibusdam vocabulis, quorum vim non intelligunt.

CLXVIII. Quid est fidem, primum, aut illius promissionem apprehendere, nisi eius qui credit fidem ex diuina promissione & lege premio compensari? Cur igitur, si opera alia ex fide prodeuntia, compensari vitâ aternâ ex promissione concedunt, non etiam concedunt, illis primum apprehendi? tamen si non nisi, vt oriuntur ex gratia & fide? Et, si nihil aliud est mereri, quâ opus ex promissione compensari? Cur, cum hoc tribuant fidei & operibus; concedere tamen illa esse merita reformidant? Sed relinquamus istorum ignorantiam, ad descriptionem meriti supra datam, redeamus.

CLXIX. Diximus in illa etiam, primum tribui, secundum aequalitatem iustitiæ distributiue, in eo videlicet positam; vt quanto vnus meritum, alterius meritum superat, tanto etiam primum vnus, primum alterius. Neque enim vbi sermo est de merito vitæ aternæ, tam locus esse videtur iustitiæ commutatiue, cuius aequalitas rei ad rem dicitur: quàm iustitiæ distributiue. Vincit enim perfectione, ac dignitate beatitudo aterna, quæcunque opera, tamen si proficiantur ex gratia. Id quod D. Paulus significat, cum inquit: Non sunt condignæ passionibus huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis &c. & quod momentaneum est, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, aeternum gloriae pondus operatur in nobis.

Rom. 8.

CLXX. Quin imò, neque vt secundum distributiua iustitiæ, Deus remuneret iustorum opera, ex natura, & valore ipsorum præcisè obligatur; quandoquidem sunt dona ipsius, vt supra dictum est. Quapropter iustitiæ hæc inter homines, & Deum, improprie dicta, solet appellari; non quod in re improprie obliget: cum enim diuina promissione nitatur, non minus, imò multo magis (vt supra est dictum) DEVM obligat, quàm si esset iustitiæ inter homines omnino æquales. Sed dicitur iustitiæ improprie, quia cum eius obligatio sit longè alterius rationis, quàm obligatio iustitiæ, quæ est inter æquales; improprie afficitur huius iustitiæ nomine.

CLXXI. Addidimus porro, meritum iusti, aliis quoque donis compensari, quæ post acceptam gratiam ad beatitudinem promouent. Nam, vt optime Theologi ratiocinantur; vt in rebus naturalibus cernimus, mouens non solum ad vltimum terminum; sed etiam ad ea, quæ illum antecedunt, rem mouere; sic etiam Deus hominem destinans, per gratiam ad beatitudinem, quæ

est ultimus terminus; non solum vult, ut eam proprio merito consequatur, sed ut mereatur etiam illa, quibus in gratiam iam receptus, ad beatitudinem progreditur. Procedit autem iustus ad beatitudinem per gratiae augmentum. Nam iustorum semita, quasi lux splendet, procedit, & crescit vsq; ad perfectum diem, id est, claram Dei visionem.

Proverb. 4.

Sess. 6. can. 24.
& 25. Eccle. 18.
Apoc. 22. Iac. 2.
2. Pet. 3.
a Tractatu S. in
Ioannem.

CLXXII. Ergo, augmentum gratiae sub iusti meritum cadere, Concilij Tridentini Patres recte tradiderunt: id quod ex Scripturis etiam colligitur. Ac D. Augustinus: Charitas (inquit) meretur augeri, ut auctum reatur & perfici. Negant verò hoc haeretici Lutherani, etiam, qui donis iustum ornari consentunt: Quoniam, inquit, propter merita Christi augentur gratiae dona. Pudet profecto, ac piget, huius argumenti remanentem iterum excutere. Declaratum est enim paulo antè; quod propter nostra merita obtinemus, id maxime propter Christi etiam merita nos adipisci. Itaque frustra consumpsit Kemnitius operam, multis contra Concilium Tridentinum probando, quod imprimis fatemur; augmentum gratiae à Christi meritis dependere.

CLXXIII. Pertinent etiam ad progrediendum in via, qua ad beatitudinem ducit, auxilia illa, praeter habituales gratias, necessaria ad perseverandum, de quibus supra sumus locuti; itaque sub meritum iusti cadunt. Quid igitur est, quod Theologi negant, donum perseverantiae cadere sub iusti meritum? Videlicet, tunc doni perseverantiae nomine intelligere eos oportet: vel omnia omnino auxilia etiam habitualia, quae ad perseverandum conferunt: vel etiam ipsa bona opera, quibus vsque ad finem auxilio gratiae perseveratur, atque adeo auxilia quatenus iam sunt efficacia: vel denique aliqua extraordinaria auxilia, quibus habitis, certum sit, iustum perseverantem, nec perditurum gratiam.

CLXXIII. Quocumque autem istorum modo perseverantiae donum usurpetur, certissimum est, illud non cadere sub iusti meritum: aliud quidem opereretur, vel gratiam etiam primam ex iustitia promereri, (quod falsum esse statim ostendimus) siquidem etiam conducit ad perseverandum: vel, postquam semel iustus, meritum est, aut petiuit perseverantiam, certum esset, illum perseveraturum vsque ad finem; & sic eum, qui est aliquando iustus, & oratur, promeretur, nunquam accideret, esse reprobum: cuius contrarium patet ex S. literis.

CLXXV. Caterum, si doni perseverantiae nomine intelligamus, illa sola auxilia actualia, quae ultra gratiam habituales, ad perseverandum quaeruntur.

dem sufficiant, sed tamen illis habitis certum nondum sit, hominem esse perseveraturum; concedi potest, illud cadere sub iustitia meriti: Nec negari potest ab illis, qui, quod supra posuimus docent; motum videlicet gratia secundum meritum, se extendere, non solum ad ultimum terminum, qui est beatitudo, sed etiam ad ea, quae antecedunt, & ad illum post gratiam adeptam promouent.

CLXXVI. Ex quo fundamento efficitur, etiam bona illa temporalia, quibus iustus utitur ad vitam aeternam promerendam, quatenus ad illam promouent; propter meritum ex iustitia, quod gratia nititur, conferri: Secus, si hac ratione semota, absolute secundum se considerentur; quia sic non referuntur ad beatitudinem, quae est potissimum gratiae, atque adeo meriti scopus. Idcirco enim fons vitae, gratia dicitur, saliens in vitam aeternam. Reparationem vero post lapsum, operibus ex gratia ante lapsum factis, nullo modo mereri possumus; quandoquidem, ut praemium propter meritum concedatur, vigere meritum oportet; quod tamen per sequentem lapsum extinguitur.

CLXXVII. Ex dictis perspicuum videtur, neminem ex iustitia mereri, ut in gratiam primum recipiatur. Doceri hoc contra Pelagium facile potest, tum ex Diuo Paulo, tum ex aliis Scripturae locis; in quibus vidimus supra principium meriti esse gratiam: Itaque non potest sub illud cadere. Oportet enim meritum aliunde valorem habere, ac procedere; non ex praemio. Alioquin idem quodammodo seipso compensaretur, quod intelligi recte non potest. Iustificamur ergo gratis per gratiam, non quod non debeat Deus hominem ipsi cooperantem, gratia afficere; debet enim id, & ex iustitia quidem, meritis Christi; sed quod non conferri nobis gratiam in compensationem alicuius operis nostri, quod per illam remunerare promiserit secundum aliquam aequalitatem; sed tantum ex misericordia, & liberalitate, ad quam illum obligauerunt merita Christi. Ita, aeternus Pater simul est in nos misericors, & iustus erga Christum; cum ex iustitia, & fidelitate debita Christo, vult ex misericordia, & liberalitate nos amare, & ornare gratia.

CLXXVIII. Nec probamus sententiam eorum, qui tametsi non ex condigno; ex congruitate tamen dicunt, nos gratiam primam promereri, per actus illos, quibus nos ultimo ad illam disponimus. Non est ita. Meritum enim ex congruo, etsi in hoc, a merito ex condigno differat, quod non perinde ex obligatione alicuius promissionis diuinae, compensatur, secundum aliquam aequalitatem, in hoc tamen conuenit, quod quia est tale, congruenter

Ita D. Tho. 1. 2.
q. 114. 8. & 10.
& 2. 1. q. 83. art.
15. & alij.

Ioan. 4.

In epi. ad Rom.
praesertim per
multa capita.
Et D. Aug. libr.
de patientia. ca.
26. & lib. 3. Hi-
pognost. Et ita
in Conci. Trid.
Sess. 6. cap. 1. &
can. 1. & 7. & in
multis aliis con-
tra Pelag.

seu decenter, Deus mouetur, ad aliquod præmium conferendum, licet ex suo solo beneplacito.

CLXXIX. Quapropter etiam repugnat, meritum congrui habere suam perfectionem siue congruentiam ex ipso præmio, tanquam ex principio. Quia tunc non poterit Deus censeri, propter perfectionem operis ex congruentia, conferre ipsum præmium. Nam si ea perfectio oritur ex ipso præmio; conferretur quodammodo tunc præmium ex congruo, propter ipsum præmium, quod non videtur minus absurdum, quam conferri præmium ex iniustitia, propter idem præmium. Cum igitur dispositiones ultime sint in re ab ipsa gratia habituali, vt supra probauimus, neque proprie compensentur per illam, sed tantum, gratia detur, cum simul ex actiones ab ipsa gratia, & libero arbitrio effluunt; sequitur, hominem neque ex iniustitia, neque ex congruitate, gratiam proprie mereri per illas.

CLXXX. Illud profectò longè probabilius diceretur, per opera bona moralia, quibus aliquis ante gratiam facere, quod moraliter potest, censeri, eatenus primam gratiam ex congruo illum mereri, quatenus conueniens, & congruum est, vt cum talis facit, quantum in illo statu naturaliter potest; Deus etiam præstet id, quod suarum est partium, hoc est, ei homini auxilia actualia, vel augeat, vel de nouo conferat, si ante nunquam habuit; quò supernaturalibus medijs gratiam potest consequi, atque adeò consequatur, si sibi non desit. Ita, celebris illa sententia Theologorum: Facienti quòd in se est Deus non denegat gratiam; duobus modis, & utroque verè exponi potest. Si enim de gratia habituali accipiatur, non est censendus homo facere, quod in se est, aut potest, vt eam gratiam recipiat, donec excitatus adiuuusque, actiones supernaturales eliciat, quibus se ad gratiam disponat. Id enim etiam potest, quamuis non sine auxilio.

CLXXXI. Si verò ea sententia ad gratiam actualem, hoc est, ad auxilia referatur: Sic quidem, si facit homo, quod moraliter potest, gratia destitutus (quidquid illud sit tandem) fecisse censetur; quod sufficit, vt auxilijs supernaturalibus fulciatur. Ex qua doctrina nihil minus sequitur, quam opera illa bona moraliter, esse initium processus iustificationis, quales fecundum fidem negandum est existere ex parte hominis; quòd videlicet habeat certam cum sequente iustificatione, connexionem. (Nam initium, ad quod iustificatio certò non sequatur sæpè existit ex parte hominis. Vt cum r. g. sua sponte quis templum adit concionatorem auditurus, à quo eadem postea permotus supernaturalibus medijs gratiam acquirit) Possit enim talis homo

lis homo, ea auxilia reicere, postquam illa haberet. Latissimus hęc disputandi campus patebat de multis rebus, quę pertinent ad ostendendam facultatem, quam omnes, quantum in DEO est, habent salutem consequendi. Sed hęc ipsa, quę hactenus disputauimus, fortassis sunt longiora.

L A V S D E O.

Has theses, amplifs. gratiæ materiam, secundum sinceram Catholicam Romanam Ecclesiam doctrinam, diffusè comprehendentes, dignis. iudico, vt typis publicè excudantur. Quod hac propriæ meæ manus subscriptione lubens attestor.

Rodolphus Clencke D. Theologus,
Iur. Licent. & pro tempore, facultat. Theolog. Decanus.

